



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi**

**Puente, Luis de la**

**Coloniae Agrippinae, 1616**

Cap. XXIX. Fit Rector Collegij Salmanticensis datque operam vt literæ cum spiritu coniungantur; magnumque in Fratribus nostris studiosis feruorem excitat

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43347**

magis esse meritorium: eò quòd sit magis purum  
 & à propria voluntate, inaniq; sine ac terrenis vo-  
 luptatibus exutum: quæ facile operibus illis mi-  
 scentur, quæ sani præstant. Deniq; hæc cum diuina  
 voluntate conformitas, illius erat in omnibus  
 morbis solatium: inter alia interna sensa, quæ  
 suo libello adnotauit, hæc erant verba scripta  
 „ dicat ægrotus animæ suæ, quantumuis hæc feb-  
 „ corpus adurat, non volo sine illa esse: si ita De-  
 „ placet: & hac ratione consolabatur, & exhalauit  
 „ bat ægrotos verbis, & literis, valde ad rem ali-  
 „ pios datis, vt inferius dicetur.

## CAPVT XXIX.

*FIT RECTOR COLLEGII SAL-  
 manticensis, datq; operam vt litera cum  
 spiritu coniungantur; magnumq; in  
 Fratibus nostris studiosis  
 feruorem excitat.*

ANNO  
 1574.



LECTO nouo Societatis Ge-  
 nerali P. Euerhardo Mercurio  
 no, mansit Romæ P. Aegidius  
 Gonzalius factus Assistentis,  
 Prouincialis erat huius Pro-  
 uinciæ Castiliæ, in quo mun-  
 re successit ei P. Ioannes Sa-  
 rius; Pater verò Balthassar factus est Rector Co-  
 legij Salmanticensis, licet prius fuisset nomi-  
 tus Prouincialis Prouinciæ Toletanæ: sed ex illi-  
 morbo



morbo Vallis-Oletano adeò mansit debilis, ac tam difficilè conualuit: vt iudicatum fuerit, eum vires non habiturum oneri tanto pares: ideoque visum, vt Salmanticæ esset Rector: quò profectus est ad initium anni 74. Sed cum hinc eius imbecillitas, inde verò seueritas, qua proprium corpus tractabat, esset adeò nota: in ipsis patentibus Rectoris expressum fuit, vt in ijs, quæ ad propriam tractationem in victu, vestitu, & somno pertinebant, subaceret iudicio Patris Michaelis Marci, qui tunc in eo Collegio docebat Theologiam, eratque in literis, Religione, & Prudentia vir eminens: cuius cura & attentio, etsi aliquid efficit, ne Pater Balthassar nimium in abstinentijs, vigilijs & alijs corporis asperitatibus excederet: non tamen tantum valuit vt non multò plura præstaret, quàm eius sanitas, & corporis vires ferre possent: supplente scilicet spiritus feruore, quod corpus debile ferre non potuisset: quod tamen multis morbis superius indicatis lauit.

Cum igitur ferè omnes, qui in illo Collegio erant, ipsius fuissent aut Tyrones, aut spirituales filij Mecinæ, aut aliàs cum ipso familiariter egissent, magno omnium applausu est exceptus, quare cum magna omnium consolatione, profectuque communi, & mutua animorum coniunctione (cùm aliàs valde multi essent, vt potè in Collegio totius Prouinciæ maximo) foeliciter gubernare coepit; & commodiùs dictamina illa, siue documenta gubernationis, quæ superius retulimus, constituere potuit; nóminalim verò singularem adhibebat curam, vt studiosi



diosi nostri literas cum Religionis spiritu coniungerent: quo nomine adeo feruentes ad illas exhortationes habebat, ob insigne donum & talentum quod à Deo acceperat; ut omnes ad eas essent feruentes, atque si in ipso Tyrocinio versarentur, circa mortificationem, inquam, orationem, & exactum in omnibus spiritualibus exercitijs ordinem, sine detrimento tamen exercitiorum literarum, quæ ea moderatione tractabatur, ut spiritum non suffocarent: & si quis nimium se dederet deuotioni: etiam illum retraheret, ut literarum studia non negligeret.

## §. I.

**V**ALDE igitur in suis exhortationibus exorabat illis persuadere, aliquas veritates magni momenti: quarum præcipua erat, quod referret plurimum, spiritum cum literis coniungere, & virtutem cum scientia, dicens: hoc duo sunt sicut illæ duæ arbores, quas Deus plantauerat in medio paradisi, Arbor scilicet Virtutis & arbor Scientiæ; & sicut duo luminaria, quæ toti mundo lucent, vnum maius, & alterum minus; & sicut vestimentum duplex, quo milites fortis induit suos domesticos aduersus frigus inuium, malitiam scilicet, & ignorantiam: & sicut spiritus duplex, quem ab Elia discedente Elias sibi dari petijt, quæ S. Bern. appellat intellectum & voluntatem suæ affectum. Hæc sunt tanquam duo Ecclesiæ testamta, Nouum & Antiquum, Lex, & gratia; & tanquam duæ rotæ, quæ trahunt currum gloriæ Dei, in quibus erat spiritus

*Serm. 6. de  
Ascens. Do-  
mini.*



vitæ; & quemadmodum duæ sorores Martha, & Maria, quæ mutuo se adiuuant, & cohabitant in eadem domo, nam quemadmodum Martha Mariæ sororis auxilium petebat: ita doctrina, quæ per ratiocinationem ad res multas & varias effunditur, opus habet spiritu coadiuante, qui id præstat in multis rebus. Nam *Primum* dat illis auctoritatem: Quemadmodum enim (S. Gregorio teste) *quando vita contemnitur, etiam doctrina vilipenditur*: ita è contra, magni fit illius doctrina, cuius vita probatur. Deinde dat eis etiam vitam, nam (vt ait Apostolus) *a litera sola occidit; spiritus autem viuificat, & b scientia sola inflat; charitas autem edificat*. Et *Va*, inquit Sanctus Augustinus, *scientia, nisi ei dominetur charitas*; Et Dauid Domino dicebat: *c bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me*, & idem S. Augustinus alibi, *amate*: inquit, *scientiam, sed anteponite charitatem*. Tertio dat eis efficacitatem, vt persuadeant: possibile esse, quod docent: doctrina enim audita, & opere non perspecta, difficile addiscitur; sed si in paxi cernatur, statim fit facilis. Propterea Apostolus Timotheo dixit: *d attende tibi, & doctrina: hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audiunt*. Quarto constantiam dat, & diurnitatem in docendo: nam deficiente spiritu, caro defatigatur, & vires debilitantur.

Ex his aliã deducebat rationem, quam etiã valde commendabat: quod scilicet spiritus plurimũ iuuat ad fidem literis adhibendam. *Primum*, quia



conscientiam à culpis mundat, vt Deus, cuius scientia est donum, mundæ animæ illam communicet. Et Religiosus, (inquit,) qui adicum ad sacras litteras quærit, laboret potius in declinandis peccatis, quàm in euoluendis commentarijs; in euellendis prauis propensionibus, quàm in videndis codicibus: vitæ enim puritas (vt ait Cassianus) aperit oculum, respicientem Deum: & oculum, cui Deus se non abscondit, etiam res eius non effugient; nec hilarum eius occulta.

Lib. 5 c. 33.  
 & 34. &  
 Coll. 14. de  
 scientia spiri-  
 rituali.

OPERAM quoque dabat, vt Orationis Exercitium illis persuaderet, tanquam medium aptissimum ad scientiam, dicēs: non minus orando, quàm studendo sciri, & in literis proficisci: expertus enim erat, quantam scientiam Deus ipsi communicasset per Orationem, vt supra est dictum. In quem finem aliquoties repetebat exemplum à Cassiano relatum de Abbate Theodoro, qui puritate cordis plus scientiæ acquisiuit, quàm lectione multa & studio, & cum quendam scripturæ locum post longum studium non intellexisset; tradens se orationi, eum est perfecte affectus.

ETIAM conabatur persuadere, mortificationem & ad scientiam acquirendum, & ad spiritum multum valere: si eam exercerent maximè in illis quæ studiorum essent propria, ad vincendas difficultates in eis occurrentes, & nominatim in his sequentibus. *Primum*, in vincendo tædio, quod incidit tempore, quò studendum est, ac desiderij studij tempore, quò id prohibetur: quale est tempus orationis, examinis, & similia. & ita animad-



uertent: neminem sequi Christum sine cruce, nec  
declinando ad sinistram propter tedium; neq; ad  
dextram, propter desiderium, sub prætextu, quod  
debeant oppugnare, aut defendere. *Deinde*, in vin-  
cenda repugnantia sese humiliandi, ad interro-  
gandum ipsum Professore, aut Condiscipulos;  
ad argumentandum, aut defendendum, aut re-  
spondendum interroganti. *Tertio*, vt non se ad  
altiora extendant, quàm oporteat, aut ad alia stu-  
dia; quàm quæ profitentur: curiositatem potius  
quàm vtilitatem quærentes. *Quarto*, vt Maiorum  
ac Professorum consilijs ac directioni sese accom-  
modent, non verò propriæ, huic studio; & non il-  
lic; hic & non ibi; hac ratione, & non illa; his re-  
bus, & non illis; his libris, & non alijs: nam hac  
ratione proficient melius, iuxta mentē S. August.  
dicētis: *non parua scientia est, scienti coniungi: ille* *In Psal. 36.*  
*habet oculos cognitionis, tu habet o credulitatis.* Est q; *Conci. 2.*  
ignorantia, & mera deceptio multorum, qui ob-  
eunt quidem occupationes Obedientiæ: sed mo-  
dum ac directionem eius prætereunt. *Quinto*, vt  
non excedantur limites Religiosæ modestiæ in o-  
stentanda sua Eruditione; aut in quærendo, quod  
eis non committitur, qualia sunt hæc argumenta,  
hi Actus, hæc Cathedræ; aut in acceptandis occu-  
pationibus ab obedientia impositis, quas ipsi re-  
fugiunt. *Sexto*, vt constanter sint dispositi ac pa-  
rati ad studia deferenda, quando iusserint Supe-  
riores: si enim Deus, illorum est causa: quomodo-  
cunque ille de eis constituerit, pax erit, & tran-  
quillitas. Et idem est ad obeundum ministerium  
hoc vel illud; hic vel in alio loco, ad Superioris  
arbitrium: hoc enim est boni spiritus indicium,  
X 5 quo



e Psal. 18. 6. quo ad Religionem accessistis, ita enim Magister  
 vestrum imitabimini, de quo dicitur: *Exultate  
 ut gigas ad currendam viam; secutus nimirum  
 omnibus, sui Patris obedientiam.*

QVARE, vt Exercitia literaria, & spiritualia  
 se mutuò non impediant, pacificum, tranquillum  
 que eorum medium est, ea aggredi ex voluntate  
 Dei, cuius opera se mutuò non turbant, aut impe-  
 diunt; sed tenet ipse suas vias, quibus ipsum amate-  
 tes, & obedientes locupletet. f. *Ego, inquit, in  
 iustitia ambulo, & in medio semitarum Iudicij: v-  
 ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.*  
 Magnum quid est, (inquit) Theologiam scire  
 sed quod in ea maximè excellit, est nosse ita vi-  
 tam suam componere, vt in nulla re discedat ab  
 eo, quod Deus vult. Qui valde anhelat & anxius  
 est, vt sciat; dicat sibi ipsi: mihi neque possibile  
 est, neque expedit prodire ad volādum, nisi Deus  
 me deducat: & tunc mihi non deerit, quod  
 nunc, ne ipsius voluntati desim, negligo. Vt autem  
 volatus hic aliquando mihi sit possibilis & vi-  
 lis, aliud habeo aptissimum medium, attendere  
 scilicet, vt interim non recedam ab eo, quod  
 eius diuina voluntas à me requirit: & hoc est su-  
 premum quod ego addiscere possum: cuius con-  
 trarium non scientia est, sed ignorantia; non est  
 ambulare in luce, sed in tenebris, & S. Augusti-  
 nus suadet: *nos igitur, quod nescire nos Dominus  
 voluit; libenter nesciamus: satis enim nobis  
 esse debet, quod ille ita velit, vt id  
 nos libenter ample-  
 ctamur.*

Prefat. in  
 Psal. 6.



## §. II.

IN eundem finem, spiritum cum literis coniungendi, tradidit ipse scripto aliquot documenta, quæ Studiosi nostri ad manum semper haberent: quorum summam hîc subiiciam: additis tamen aliquot verbis ad maiorem eorum explicationem, ut quicumque negotium hoc literarium tractant, eorum usum in promptu habere possint. Vita, inquit, & exercitatio studiorum Societatis est ex se valde quieta, & apta, ut rectè & ordinatè ducatur, &, si velint, possunt semper esse benè occupati, nec tamen mergi. Quare maioris culpæ reus erit, qui, ubi tantus est ordo, non ita vixerit. ad id autem iuuerint hæc documenta. *Primum*, dent operam, ut cor habeant, valde quietû & expeditû ab omni anxietate studendi; & propterea festinâdi in rebus ab obedientia iniunctis: nam contrarium, cum omnes valde impeditum ipsos studiosos maximè; est que causa, cur actiones cum illa festinatione, minùs rectè fiant, ipsumque cor maneat ineptum ad orationem & familiaritatem cum DEO. Curent etiam, ut in anima sua virtus & Religio optimum habeant locum; plurisque eas faciant, quàm literarum Eruditionem: quæ sine illis plus nocet, quàm proficit: hunc enim sensum esse Societatis, ostendunt eius Regulæ: ita fiet, ut optimum tempus spiritualibus rebus tribuant; easque exactè valdeque perfectè, ac primo loco faciant: certò sibi persuadentes: nihil se propterea de Eruditionis incremento amissuros, iuxta illud Bonaventuræ: *Scientia, qua pro virtutis disciplina. c. 7. despi-*

*In Spec. Di-*

*sciplina. c. 7.*

*despi-*



despicitur per virtutem postmodum melius inu-  
nitur.

STUDEANT puram intentionem in suis stu-  
dijs, in lectione, & alijs exercitijs literarijs habere: hæc enim facit, vt illa sint Religiosa. Homines  
seculares per studia sua quærunť magnum nomen,  
dignitates, diuitias, & huiusmodi alios seculares  
fines: at boni Religiosi his omnibus aditum præ-  
cluserunt; nec in suis studijs aliud quærunť, quàm  
vt apta fiant instrumenta, quorum doctrina, vita  
quæ exemplari homines Deum agnoscant, ament,  
eiquæ fideliter seruiant. Hæc doctrina est, quam  
nostræ Constitutiones exigunt: quæ in eum finem  
est dirigenda, vt studijs ac ministerijs nostris ani-  
mas Deo lucremur: hic enim est scopus ac finis  
præstantissimus, qui esse potest in terra; & (vt S.  
Dionysius ait) rerum diuinarum diuinitissimus, quem  
Christus D. N. dum venit in mūdum, respexit: hoc  
enim insinuauit, cū dixit: *a manifestauit nomen  
tuum hominibus.* & cū sit ad eū excellens, simul  
est ijs, qui eum respiciunt, vtilissimus, de quibus  
Daniel dixit: *b quod fulgebunt, quasi splendor firmamenti,  
& quasi stellæ in perpetuas æternitates.* S. Paulus scripsit Timotheo: *c attende tibi & doctrina: hoc enim faciens & te ipsum saluum facies,  
& eos qui te audiunt.*

AD HOC iuuerit, offerre frequenter studia sua  
Deo: nec illa vnquam inchoare, nisi præmissa flexis  
genibus Oratione: cū enim Deus velit, peti-  
tæ se gratiam, ad proficiendum in studijs: acqui-  
rit, id frequenter ac demissè facere; studendo etiam  
nimietatem mortificare, quæ profectum & inten-  
tionis puritatem impedit; ita vt nolint sese ante  
tem-



tempus ostentare. Ideo enim (vt S. Bonauentura aduertit) iussit Deus in Leuitico: *d quando ingressi fueritis terram promissionis, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis preputia eorum; poma qua germinant, immunda erunt vobis; quinto autem anno, comedetis fructus, & poma qua profertent.*

*De informatione Nouitiorum. c. 15. d Leuit. 19. 23.*

CVRENT præterea, ne temporis particulas, quas orationi dare poterunt, amittant; & si quid præterea opus erit ad spiritualem suam reformationem, nõ negligant: aduertentes, quòd licet designatum habeant vnus horæ tempus pro Oratione, id sit, quâ sunt studiosi, non quâ superbi, aut alijs spiritualibus defectibus subiecti: hi enim curare debent plus, & plus temporis orationi tribuere; & oportunè, importunè apud Dominum nostrum agere, donec tales defectus omninò exuant: plurimum enim refert Societati, & multò adhuc amplius nostra ipsorum: vt perfecti euadamus.

AVSPICENTVR studia, magno illa feruore cum spiritu coniungentes: nam ordinariè, quale initium fuerit, talis progressus erit, & finis: ita vt, si initia sint tepida, etiã reliqua tepescant; si aut feruentia, reliqua quoq; futura sint talia. Vehementer aut horreant, feruorem inceptum remittere: ne contra se audiant tremendam illam Christi vocem, ad quendam ignaum: *e habeo aduersum e Apoc. 2. 4. te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti.* Quod si Deus aliquid contra nos habet: quomodo nona trepidamus? quid igitur si multa habeat, eò quòd remiserimus aliquid de Obedientia, Humilitate, Patiètia, & Charitate, reliquisq; virtutib?

S V M-



SVMMO studio attendant ad charitatis, m-  
 tuæq; coniuñtionis conseruationem: cuius cau-  
 sex hosce defectus nominatim fugiant, tanquam  
 valde perniciosos: habere scilicet strictam & par-  
 ticularem cum aliquo amicitiam, præcipuè quam  
 tota cõmunitas notet; murmurare, conqueri de  
 Magistris, quod prolixi sint, aut nimis breues; ob-  
 scuri, aut superflua tradetes: Opiniones sequi  
 Magistris contrarias, res est odiosa; id autem alijs  
 manifestare, quasi Magistri sui opinionem con-  
 temnendo, res est intolerabilis. Quodcunque in-  
 iudicium, vel insinuatio, quasi Magistri solutio illi  
 non satisfaciatur, est contra ædificationem; multo  
 magis, si apertè id dicatur: quia videbuntur id se-  
 tire & grauius ferre, ob læsam suam famam, quam  
 non potuerint satisfacere. Tenuis erga aliquem  
 Professorè amor, eiusq; manifestatio est valde per-  
 niciofa; sed multò adhuc magis certum quoddam  
 genus factiuncularum, qua vnum Magistrũ alteri  
 præferunt, edito aliquo manifesto eius iudicio.

DENIQUE cum quisq; ex parte sua fecerit,  
 quod poterit circa studia, & scientiam acquiren-  
 dam: relinquat Prouidentia diuinæ studiorum, &  
 exercitationum suarum exitum, conseruata cor-  
 dis pace & tranquillitate, etiam cum non fuerit  
 adeò foelix: quod non erit adeò difficile, si in suis  
 studijs solum Deum quærant. Si ego (inquit Do-  
 minus) causa sum eius, quod quæris, quocunque  
 modo tibi eueniat contentus eris & pacatus; præ-  
 stat autem sui curam habere; quàm, se neglecto, e-  
 dere miracula.

HÆC monita scripsit P. Balthassar, suisq; fra-  
 tribus studiosis tradidit, ad quorum praxim indu-  
 cendam

*De Imitati-  
 one Christi.*



cendam adhibebat media suavia quidem, sed efficaciam, & proportionata; summam adhibens vigilantiam & curam, ut omnes domestici suas leges exactè seruant, totumq; tempus præscriptum suis exercitijs tribuerent, non solum Orationi & Examine Conscientiæ, reliquisq; ad spiritum spectantibus; sed etiam literarijs, quibus nihil subtrahi permittebat, impositis etiam penitentijs, qui rei esset, siue Magistris, siue discipulis. Et quoniam, quæ ad corpus spectant, etiam iuuant spiritualia; magnam quoq; rationem habebat, ne quid ex necessarijs illis deesset, ut omnem huius rei curam deponeret. Et diebus recreationi siue remissioni destinatis, exirent ad cæpos ac se recrearent, conseruandæ sanitatis causa: ut sic resectis viribus, recenti seruore ad studia redirent. singulis mensibus conscientiæ rationem ab eis exigebat; frequentius alloquebatur, quando aliquam illorum necessitatem agnoscebat; excitabat, & animabat tam in rebus deuotionis, quam studiorum, dans illis aliquod indicium opinionis suæ, & æstimationis de eorum laboribus: & in rebus omnibus ad eum se Patrem erga illos ostendebat, ut ab omnibus amaretur, essetq; uenerationi. Quare omnes valde confidenter ad eum accedebant in suis necessitatibus; & in omnibus, quæ ad animarum suarum bonum pertinebant. Quidam ex his studiosis Frater, (quod ipsemet factus postea Sacerdos retulit) cum vrgeretur grauissima desperationis tentatione, nullum aliud inuenit aptius remediū, quam ad cubiculum sui Rectoris ipsa media nocte confugere: in quod repente in tenebris ingressus eius brachia arripuit, & tremere fecit.

Exci-



Excitatus P. Balthassar quæsiuit, quis esset? Sed Frater tentatione sua turbatus, hæsit aliquantulum antequam responderet; & postea nomen suum prodidit. Tunc Pater valde quietè ac pacatè dixit: quid ergo mi Frater quæris tali hora? qui respondit: Pater morior, & rectà tendo ad Infernum. Quo audito, Pater commiseratione eiur necessitatis motus, iussit illum sedere: & satis diu cum illo mansit, donec suauibus & efficacibus eius verbis omninò tranquillitati restitueretur Frater. In hunc modum, quietos & pacatos reddebat eos, qui aliquibus tentationibus agitantur, quemadmodum de Nouitijs est dictum.

**DENIQUE** suis exhortationibus tam communibus, quàm priuatis, reliquisque medijs, quæ suaviter & fortiter adhibebat, coniunxit Salmanticæ substantialem Tyrocinijs Metinensis feruorè cum studijs literarum, quibus aliàs illic attendebatur cuius testimonium esse potest, quod perueniens ad illud Collegium Procuratore Indiæ Orientalis, & Insularum Iaponensium, cum facultate nostri Generalis, vt aliquos inde secum acciperet, qui ad missionem illam adeò gloriosam, & arduam sese offerrent: extraordinarium eius seruum Dominus noster communicauerit ad eam petendam, contemnentibus Patriam, Consanguineos, Amicos & alias commoditates, se ipsos tantem exponentibus innumeris periculis, quæ in terraque coeptum illud insigne habebat, ad locum adeò distantia, ad gentes barbaras, ac feras: & cuius numerus fuisset præscriptus, desolatum fuisset totum Collegium, adeò instantè & importunè



omnes contendebant sancta quadam æmulatione alter alterum vincere, allatis rationibus à singulis, ob quas alijs essent præferendi. Et cum tot fuissent vocati, quinque tamen soli ad eam missionem sunt electi, alijs patientiam habere iussis; facta tamen spe quòd oportuniori occasione essent exaudiendi: & sic omnes quieti & tranquilli manserunt, tanquam Obedientiæ filij: & in feruore spiritus, vt antea, progressi sunt.

## CAPVT XXX.

NOTABILIA EXEMPLA  
duorum Fratrum studiosorum valde feruentium, Ioannis Ortunij, &  
Francisci Cordubensis.



VI insigniores fuerunt in feruore spiritus ex P. Balthassaris exemplo & auxilio fuerunt duo Fratres, Philosophiæ studiosi: qui recens ex Tyrocinio venerant, simul cum suo Magistro Oedio, qui fuerat Collegialis in maiori Collegio Conchensi, & Philosophiæ in illa Vniuersitate Professor, qui Anno 1571. fuerat Societatem ingressus simul ferè cum omnibus suis discipulis: qui etsi omnes singularis erant virtutis, illorum tamen duo singulari ædificatione totum Collegium facilè superarunt: quorum heroicas virtutes perspectas habuit prædictus

Y

dictus